

animalia ab alio asportata solo, pulueri infecta necat. Apes in ea non reperiuntur, mira cœli temperies, fertilitas insignis. Gens tamen inhospita, inculta, & crudelis. Venationi & ludis, magis quam agrestibus operibus dediti. Porro de Scotia & Hybernia Polydorus ita scribit. Scotia alterum huius insulae regnum, passim portus habet tuos & aditus marinis aquis peruos, item lacus, paludes, fluuios, fontes longe plenissimos piscibus, nec non montes & in summo montium aquatam agri planitatem, pecoris pabulum ubertim suppeditantem, sylvasque feris plurimum abundantes. Quorum illa locorum commoditatibus etiam sustentata, minus unquā debellari potuit, cum ad sylvas & paludes præstò ubiqz gentium sit profugium & ad famem tolerandam, ferinx carnis ac pisciū pastus. Circum Scotiam in Hybernicō mari sunt amplius 40. insulae, à Plinio Britannicæ dictæ, quas alij Meuanias, alij Hebrides appellant. Harum plures in longitudinem minimum patent milia passuum 30. in latitudine uero haud plus 12. In ijs Iona est, veterum Scotorum regum sepulchræ clara, incolæ autem omnes hybernici loquuntur, id quod declarat eos ab Hybernis originemducere. Ultrà Scotiam uersus septentrionem Orchades insulae sunt numero autore Ptolemao 30. partim in Deucalidonio, partim in Germanico sitæ oceano, quarum caput uocant Pamoniā, quod in ea locata sit episcopalis sedes, quæ sub Scotti imperio sunt. Insulani lingua utitur Gothica, quod arguit eos à Germanis oriundos. Statura sunt procera, semper sano ferme corpore pariter atque mente, quo sit ut multo longissimam degantatem, & piscibus plurimum uicitant, nam terra continuo propemodium frigore obsoita, multis in locis uix frumentum fert, arborem uero penè nullam. Post Orchades Thyle est, quam nunc llam dicunt. Ab ea unius diei nauigatione, ut ait Plinius, mare concretum, in quo

Islandia est, ad quam etiam nunc mercatores Angli pisces emendi causa in singulos annos aestate commeant. Et quia uersus Arcton ultima est, idcirco sunt, qui eam Thulen esse arbitrentur. Ceterum Scotti qui meridionalem insolunt partem multo meliorem, bene morati sunt, & ut humaniores lingua utitur Anglicā, & cum rare hic sylva, ignem faciunt ex lapide nigro, quē ex terra effodiunt. Alterā septentrionalem ac montosam, tenet genus hominum longe durissimum ac asperum, qui sylvestres dicuntur. Hi sago & interiore tunica hybernico more, tincta croco amiciuntur, nudisque genutenus tibijs incedunt. Arma sunt arcus & sagittæ, cum ense admodum lato, & pugione una tantum ex parte acuto. Omnes hybernici loquuntur, quorum uictus in piscibus, lacte, caseo & carne consistit, quapropter magnum pecoris numerum habent. Differunt ab Anglis Scotti legibus & institutis, quia isti ciuile ius usurpant, uti ceteræ ferme gentes, illi uero municipale tantum habent. Quædam alia indiscreta sunt, lingua, sicut dictum est, eadem: idem habitus corporum, eadem in bello ferocia, ac nobilitati idem à pueris uenandi studiū. Domicilia ruri angusta, stramētis aut palustri arundine tecta, in quibus ipsi pariter ac pecora stabulantur. Oppida extra fanum Iohannis, nullis sunt cincta muris. Valenti item ingenio, id quod doctrina declarat: nam ad quancunque se applicant artem, in ea facile proficiunt.

Hybernia insula in Oceano inter Britanniam atqz Hispaniam posita, ab ortu habet ipsam Britanniam unius diei nauigatione propinquam: & Galliam ab Austro, Hispaniam trium dierum, ut aiunt, nauali cursu affinem ab occidente: Oceanum infinitum à septentrione, nec multum distat à Scotia. Forma eius oblonga ad similitudinem ouï, ac à meridie, uti etiā Britanía est, in septentrionē protensa, ubi latior est. Hybernam ab Hybero duce homine Hispano